

perfidia, et abjuratae religionis, et profundissimae libidinis immani flagitio, ut oblivisceretur meritorum Davidis, et promissionis illius imperii, quod in ejus domo aeternum futurum ante praedixerat. Quare, ut maneret aliquod monumentum tanti principis, tamque divini nominis studiosi, extare voluit in civitate, quam sibi ex omnibus praecipuam elegit, regium decus in posterorum aliquo, qui unum et clarum Davidis nomen in omni memoria conservaret. Quomodo *lucerna, scintilla*, et similia sumantur pro liberis, maxime cum sunt in dignitate, qui parentis famam perire non sinunt et memoriam, diximus pluribus lib. 2 Reg. cap. 14, ad illud: *Quarunt extinguere scintillam meam*. Ubi etiam ostendimus Davidi a Domino promissam esse lucernam, qua mirum nomen illius splendidum posteritati conservaret.

VERS. 38. — SI Igitur audieris omnia, quae precepero tibi, etc. Sicut Sauli primum, deinde Salomoni regnum promisit Dominus fidele, id est, stabile, si tamen a divinae legis custodia non deficerent, sic etiam promittit Jeroboamo Israelitici, id est, decem tribuum fidele stabileque imperii solum, si modo illud instituat vivendi genus, quod in Davide videt sibi, et in aliis regibus propositum, tanquam optimam regnandi atque vivendi formam. Addit praeterea, si quis Salomonis filius, aut alii posteri contra ipsius regnum hostile aliquid meditentur, et quam debere sibi hereditatem putabant, vindicare quoquo modo, ac repetere studeant, Jeroboami potius quam aliorum partes suscepturum; id enim existimo valere illud: *Et affligam semen David super hoc*, id est, si tibi eam ob rem molestiae aliquid facessere voluerint. Quod sane fecit, et eodem tempore, quo Salomon Jeroboamum de medio tollere voluit, qui incolumis ab ejus manibus evasit in Aegyptum, et postea cum Roboamum, qui exercitum contra Jeroboamum, antequam se in regno confirmaret, conscripserat, quem referre jussit gradum, et ne novum regem insectaretur edixit.

Porrò de hoc Ahia propheta Silonite tradit Epiphanius ex Hebraeorum, ut reor, traditione de vita prophetarum in Ahia, quod Salomoni praedixerit Deum aliquando futurum adversa-

terre pour le vrai héritier du royaume de David, selon que l'ange le déclara à la Sainte-Vierge en ces termes: *Le Seigneur qui donnera le trône de David, son père, et il régnera éternellement sur la maison de Jacob.* (Sacy.)

rium, quod item dixit Isidorus in lib. de Vita atque Obitu sanctorum, qui ait ab Ahia dictum esse Salomoni ejus animum a mulieribus esse pervertendum, et quod aliquid simile Jeroboamo praedixerit. Sic autem ibi Epiphanius: *Incepit Jeroboam, quod suscepto olim principatu dolo et fraudulenter esset acturus cum Domino. Visum namque suis apparuit oculis par boum pessumdare populum, inque sacerdotes impetum facere. Caeterum vaticinatus est Salomoni futurum, ut muliebre genus eum alienaret a Domino. Item ingenuè dixit ad Jeroboam: Te par buccularum avertet olim a Domino, et erit in servitute tua pro-* (pago.) (1)

VERS. 40. — VOLUIT ERGO SALOMON INTERFICERE JEROBOAM, QUI SURREXIT, ET AUFUGIT IN AEGYPTUM AD SESAC (2). Sicut postquam Salomone regno vitae defuncto, suum in decem tribubus consecutus est Jeroboam, stultè egit et impiè conflatis vitulis, quos pro diis objecit aut timido aut seducto populo, sic etiam nunc Salomone vivente insipienter egit, et parùm cautè, dum studium suum obtinendi regni, aut oblatum a Domino regnum pluribus aperuit è populo, quos adversus Salomonem mutavit, a quo jam ipsi antea animos habebant alienos, ut putat Josephus; aut certè

(1) VERS. 39. — VERUMTAMEN NON CUNCTIS DIEBUS. Reluctantibus licet principum domus Davidicae criminibus, adhuc tamen Dei misericordia domum illam non deseruit. Messias ex ea radice germinaturus tutam ab excidio efficiebat. (Calmet.)

Deus tam seriò Jeroboam inculcat veram sui religionem et cultum, quia praevidebat eum schisma facturum a Deo et templo propter regnum, cum tamen Deus vellet per eum schisma a Salomone in Dei cultu factum rescire. At cur Deus id praesciens nihilominus eum regem constituit? — Resp. ut puniret populum, eique impio similem, scilicet impium daret regem, aequè ac jam ante eidem dederat impium Saulem, ait Rupert., et ex eo Salius. Populus enim jam magna ex parte erat corruptus, tam regis imitatione, quam propria malitia, ad quam eum pellexit otium, deliciae, et rerum omnium abundantia. Volens ergo Deus castigare populum impium, dedit regem Jeroboam, qui populi cupidinibus et desideriis ad idola colenda obsequeretur, itaque tot calamitatum, et tandem extremi excidii eidem fieret causa, juxta illud Job. 54, 30: *Qui regnare facit hypocritam* (id est, impium) *propter peccata populi.* (Corn. à Lap.)

(2) Interpretum plures hunc Sesacum cum Sesostride rege Aegypti, apud Herodotum felicibus expeditionibus celebri miscunt. Hucusque Scriptura reges Aegypti Pharaonis nomine, id est, regis, innuit. Sesac primus omnium proprio nomine exprimitur. (Calmet.)

evulgavit quid sibi dictum foret ab Ahia; quod ne ullo modo contingeret tantopere caverat propheta, dum illum a turbâ segregat, et in solitarium locum deducit. Cumque nosset de regno ad se nihil Salomone divo pertinere; sed postquam ad ejus filium paternum devenisset imperium, antevertit sic negotium illud, quod oporteret maximè tectum esse, et adeò non obscurè, ut Salomon ipse manifestè cognoverit. Quare voluit sibi ac posteris intercepto Jeroboamo consulere, quod fecisset, omnino, nisi maturâ fugâ in Aegyptum profectus Salomonis se subduxisset potentiae, et armatum furorem declinasset. In quo apparet quam Deus fideliter promissa compleat, cum tantam Salomonis potentiam et regias manus, quae longae sunt et plurimae, continuerit, ne quid adversari possent Jeroboami consiliis, et regem Aegypti, qui aut Salomonis socer erat, aut uxoris frater, sic in Jeroboamum affecerit, cum tamen illius fugae causam non ignoraret, ut amicè susceperit, atque ita protexerit supplicem suum, ut nihil toto illo tempore, quod non videtur fuisse exiguum, subierit, sive ab aperta vi, sive ab occultis Salomonis insidiis.

Quis fuerit iste rex Sesac incertum est, an socer, an levir Salomonis. Socer communiter existimatur appellari Vaphres. Hic Sesac fortassè est ille, qui ab Herodoto et Diodoro Sebaceus nominatur. Sanè apud Jeremiam cap. 25, v. 26, Babylon appellatur Sesac. Sed, ut in nostris Commentariis diximus ad illum locum, nomen illud artificio quodam Hebraeis familiari, litterarum transmutatione fit.

VERS. 41. — RELIQUUM AUTEM VERBORUM SALOMONIS, etc., SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM DIERUM SALOMONIS. Quis sit liber verborum dierum, diximus in Prolegomenis horum librorum Regum, § 1. In illo autem libro plura scripta sunt, quam habemus in lib. 3 Reg. aut in 2 Paralip. Ex quibus fortassè sumpta aliqua, quae nobis tradiderunt Hebraei aut docuerunt Patres, quale est quod de Ahia Silonite dicebat Epiphanius. Et quod Chaldaeus tradidit in Canticis cap. 8, ad illud: *Vinea mea coram me est*. Ubi dicit Ahiam prophetam, quia de regni divisione egit cum Jeroboamo, quassitum esse a Salomone ad mortem; illum autem ut regium furorem declinaret, abiisse in Aegyptum: illa autem reliqua, quae in his libris commemorata non sunt, sicut etiam illa, quae nunc habemus, scripserunt viri quidam eo valdè nomine insignes, quod omnes fuerunt prophetae. De quibus lib. 2 Paralip. cap. 9, v. 29: *Reliqua*

autem opera salomonis priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Nathan prophetae, et in libris Ahiae Silonitis, in visione quoque Addo videntis contra Jeroboam.

VERS. 45. — DORMIVITQUE SALOMON CUM PATRIBUS suis (1). *Dormire*, ex usu idiomatis Hebraei, idem est quod *mori*, quia somnus mortis est imago, et qui in sepulcro jacet, ille in sepulcro requiescere, aut dormire dicitur, et sepulcrum ipsum requies nonnunquam appellatur, et quod polyandrium ab aliis, aut communè vocatur sepulcrum, illud à Graecis κοιμητήριον, et à Latinis caemeterium dicitur, quod idem valet, quod *dormitorium*. Hoc sensu, credo, Salomon dormisse traditur, id est, vitâ functus, sicut etiam parentes ipsius, qui jam è vitâ decesserunt. Nam licet ille dicatur dormire cum parentibus, qui in parentum sepulcrum, quod est etiam toti familiae commune, illatus est, tamen cum in civitate David fuerit tumultus, ubi unus tantum pater conditus erat, potius dicendum fuit in singulari, cum patre, quam cum patribus, in plurali numero, sepultus.

Hic alii de Salomonis spiritali vitâ disputationem longam instituunt, illamque tractant accuratè valdè, quod ego quoque facere insti-

(1) De hoc versu hæc habet Cahen (Bib.): « 2 Chron. chap. 9, v. 30 et 31, la mort de Salomon est racontée, mais il n'y est nullement question de sa faiblesse pour les femmes, ni de son idolâtrie, parce que, dit Abarbanel, Esra (Esdras) n'avait pour objet que de faire l'éloge de Salomon, mais non de le blâmer. Si un écrivain sacré a tant de partialité, faut-il s'étonner si l'on ne trouve pas toujours de l'impartialité dans les historiens profanes! »

Mirum est è memoriâ Cahenis excidere in Paralipomenis ea vulgò tantum contineri quae ommissa in aliis libris sunt, aut eadem sed brevius, multisque spoliata circumstantiis. Non ideo igitur de Salomonis in mulieres effusâ libidine, deque turpi ejus in idololatriam lapsu tacet libri Paralipomenon auctor, quasi ejus laudi aliquid detrabere timeret, sed quia id suo scribendi proposito minus congruere existimabat. (Editores.)

De Salomonis poenitentia multa fabulantur Hebraei, eum nempe quinquies per plateas Jerusalem poenitentiae causâ trahi voluisse, et cum quinque virgis seu virgarum manipulis venisse in templum, ibique à legisperitis postulasse ut verberaretur, sed illis renuentibus manum mittere in Christum Domini, à seipso acriter flagellatum fuisse, regnoque, se abdicasse. Id legitur apud Bedam in fine tomii 7, in fragmento quodam, cui titulus est: *De Salomone judicium*, quod venerabilis Patris nomini suppositum, et in ejus opera intrusum crediderim. Addunt Rabbini, Salomonem scipione nixum, ostiatim mendicasse, et in circulis et compitis Hierosolymorum elamasse: *Ego Salomon fui olim rex super Israel.*

(Natalis Alexander.)

tueram, paraveramque quæ in eâ quæstione magis videbantur opportuna. Sed cum ab aliis hæc non indiligerent disceptari cernebam, à quibus lector, quod videretur magis ad veritatem, edoceri posset. Neque præterea aliquid in re tantâ habere, in quo animus veritatis indagator acquiesceret; imò quod ad utramlibet cogitationem firmum haberet fundamentum, aut conjecturam gravem, abstinendum mihi duxi ab eâ disceptatione, quam usque adeò contemplantur ancipitem, ut non haberem, quò magis propenderet assensus. Nam si ab auctorum numero, et auctoritatis pondere momenta consideret, æquum utrilibet cogitationi inest ab auctorum numero, et Scripturæ sacræ auctoritate momentum. Auctores, qui pro utralibet cogitatione certant, æquales penè sunt numero, sanctitate, doctrinâ; rationes in utralibet partem non admodum premunt. Quæ citantur ex Scripturâ sacrâ testimonia, si diligenter expendas, in alios sensus trahi possunt. Ea non invita, et magis fortassè ad Scripturæ non infrequentes usus consentaneè. Quid ergo faciam in re conjecturali, ubi infirmæ sunt, et dubiæ conjecturæ? Adeat lector, si, quod alii senserunt, nõ-se vult, inter alios

## CAPUT XII.

1. Venit autem Roboam in Sichem; illuc enim congregatus erat omnis Israel ad constituendum eum regem.

2. Atverò Jeroboam filius Nabath, cum adhuc esset in Ægypto profugus à facie regis Salomonis, audita morte ejus, reversus est de Ægypto.

3. Miseruntque et vocaverunt eum. Venit ergo Jeroboam et omnis multitudo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes:

4. Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis; tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo et de jugo gravissimo quod imposuit nobis, et serviemus tibi.

5. Qui ait eis: Ite usque ad tertium diem, et revertimini ad me. Cumque abiisset populus,

6. Iniit consilium rex Roboam cum senioribus qui assistebant coram Salomone patre ejus cum adhuc viveret, et ait: Quod datis mihi consilium, ut respondeam populo huic?

7. Qui dixerunt ei: Si hodiè obedieris

Martinum de el Rio in præfatione ad Cantica, Sebastianum Barradas tomo 1, lib. 5, cap. 9; Pinedam in Salomone prævio, lib. 8, cap. 1, qui omnes acriter pro Salomone certant, et quæ alii in utramque partem congresserunt diligenter et expenderunt accuratè.

Sub hæc Salomonis tempora, id est, ad annum mundi 4160, floruerunt antiquissimi poetæ et musici, ut tradit Genebrardus in suo Chronico, ex Eusebio lib. 10 Præp. cap. 3: Linus, Philammon, Tamyras, Amphion, Orpheus, Musæus, Demodocus, Phœnius, Epimenides Cretensis, et quædam ex Sibyllis. Sed reverà id Eusebius non dicit, sed tantum viris, qui hic ab Eusebio, et Genebrardo nominantur, superiorem fuisse Moysem. Hoc tempore à Tyrreno quodam Pyræo inventa tuba, et auctor est Plinius lib. 7, cap. 56. In Salomonis tempus incidisse Homerum docet Cyrillus Alexand. lib. 7 contra Julianum; apud Latinos regnabat sextus rex Sylvius Æneæ Sylvii filius. His temporibus Homerum et Hesiodum floruisse, et à Didone ædificatam esse Carthaginem ex aliorum sententiâ docet Eusebius in Chronico.

## CHAPITRE XII.

1. Alors Roboam vint à Sichem, dans la tribu d'Ephraïm, parce que tout Israel s'y était assemblé pour l'établir roi.

2. Mais Jéroboam, fils de Nabath, qui était encore dans l'Égypte, où il s'était réfugié dans la crainte qu'il avait du roi Salomon, ayant appris la mort de celui-ci, revint de ce pays,

3. Parce qu'on lui avait envoyé des gens pour le faire revenir. Jéroboam vint donc avec tout le peuple d'Israel trouver Roboam, et ils lui dirent:

4. Votre père nous avait chargés d'un joug très-dur; diminuez donc maintenant quelque chose de l'extrême dureté du gouvernement de votre père et de ce joug très-pesant qu'il avait imposé sur nous, et nous vous servirons.

5. Roboam leur répondit: Allez, et dans trois jours revenez vers moi. Le peuple s'étant retiré,

6. Le roi Roboam tint conseil avec les vieillards qui étaient auprès de Salomon, son père, lorsqu'il vivait encore, et il leur dit: Quelle réponse me conseillez-vous de faire à ce peuple?

7. Ils lui répondirent: Si vous écoutez maintenant ce peuple, et que vous leur cédiez,

populo huic, et servieris, et petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus.

8. Qui dereliquit consilium senum quod dederant ei, et adhibuit adolescentes qui nutriti fuerant cum eo et assistebant illi,

9. Dixitque ad eos: Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic, qui dixerunt mihi: Levius fac jugum quod imposuit pater tuus super nos?

10. Et dixerunt ei juvenes qui nutriti fuerant cum eo: Sic loqueris populo huic qui locuti sunt ad te dicentes: Pater tuus aggravavit jugum nostrum; tu releva nos; sic loqueris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.

11. Et nunc pater meus posuit super vos jugum grave: ego autem addam super jugum vestrum; pater meus cæcidit, vos flagellis: ego autem cædam vos scorpionibus.

12. Venit ergo Jeroboam et omnis populus ad Roboam die tertiâ, sicut locutus fuerat rex, dicens: Revertimini ad me die tertiâ.

13. Responditque rex populo dura, derelicto consilio seniorum quod ei dederant,

14. Et locutus est eis secundum consilium juvenum, dicens: Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro; pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.

15. Et non acquievit rex populo, quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscicaret verbum suum quod locutus fuerat in manu Ahiaë Silonitæ ad Jeroboam filium Nabath.

16. Videns itaque populus quòd nolisset eos audire rex, respondit ei dicens: Quæ nobis pars in David? vel quæ hæreditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua, Israel; nunc vide domum tuam, David. Et abiit Israel in tabernacula sua.

17. Super filios autem Israel, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam.

18. Misit ergo rex Roboam Aduram,

en vous rendant à leur demande et en leur parlant avec douceur, ils s'attacheront pour toujours à votre service.

8. Mais Roboam, n'approuvant point le conseil que les vieillards lui avaient donné, voulut consulter les jeunes gens qui avaient été nourris avec lui, et qui étaient toujours près de sa personne,

9. Et il leur dit: Quelle réponse me conseillez-vous de faire à ce peuple, qui est venu me dire: Adoucissez un peu le joug que votre père a imposé sur nous?

10. Ces jeunes gens, qui avaient été nourris avec ce prince, lui répondirent: Voici la réponse que vous ferez à ce peuple, qui est venu vous dire: Votre père a rendu notre joug très-pesant; et vous lui parlerez en ces termes: Le plus petit de mes doigts est plus gros que le corps de mon père.

11. Mon père, à ce que vous dites, a imposé sur vous un joug pesant, et moi je le rendrai encore plus pesant; mon père vous a battus avec des verges, et moi je vous châtierai avec des scorpions.

12. Jéroboam vint donc avec tout le peuple trouver Roboam le troisième jour, selon que Roboam le leur avait dit: Revenez me trouver dans trois jours.

13. Et le roi répondit durement au peuple; et, abandonnant le conseil que les vieillards lui avaient donné,

14. Il leur parla selon que les jeunes gens le lui avaient conseillé, et leur dit: Mon père vous a imposé un joug pesant, mais moi je le rendrai encore plus pesant; mon père vous a battus avec des verges, mais moi, je vous châtierai avec des scorpions.

15. Et le roi ne se rendit point à la volonté du peuple, parce que le Seigneur s'était détourné de lui dans sa colère, pour vérifier la parole qu'il avait dite à Jéroboam, fils de Nabath, par Ahias, Silonite.

16. Le peuple, voyant donc que le roi n'avait point voulu les écouter, commença de dire: Qu'avons-nous de commun avec David? quel héritage avons-nous avec le fils d'Isai? Israël, retirez-vous dans vos tentes; et vous, David, veillez maintenant à votre maison. Israël se retira donc dans ses tentes, et secoua le joug de Roboam.

17. Mais Roboam régna sur tous les enfants d'Israël qui demeuraient dans les villes de Juda et sur la tribu de Benjamin.

18. Le roi Roboam envoya ensuite Aduram,